

pater sancte, ut de vinculo improprietatis hujusmodi absolvas me, vel certe super terram deleas me. Supplicabo, maxime imperator, qui iudicas juste et probas renes et corda, ut apprehendat iudicium manus tua et effundas iram indignationis et in iudices, qui per delegationem vestram quasi sub umbra alarumstrarum me ut Susannam falso testimonio presserunt: in impetu furoris tui percute eos, et duplici contricione contere eos. Videam igitur ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam, domine, qui es dominus ultionum.

In das Jahr 1205 fällt der folgende Bericht in einer Angelegenheit der Stadt Arras, welcher zwei Erlasse Innocenz III. enthält, aber ohne den Schluss abgebrochen ist:

(f. 102.) Viris venerabilibus in Christo dilectis, abbati de Mareolo¹⁾, W. preposito, et magistro G. canonico Bethun.²⁾, B. prepositus, D. et H. canonici Remenses, salutem in Domino. Litteras vestras, o preposite et magister, recepimus sub hac forma:

Viris venerabilibus et dominis in Christo karissimis, B. preposito, D. et H. canonicis Remensibus, W. prepositus et magister G. canonicus Bethun., salutem et paratam obsequii voluntatem. Sciat vestra dilectio, abbatem de Mareolo et nos recepisse mandatum apostolicum sub hac forma:

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati de Mareolo, W. preposito, et magistro G. canonico Bethun. Attrebatensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster Attrebatensis episcopus a nobis humiliter postulavit, ut excommunicationis sententiam, quam in maiorem et scabiosos Attrebatenses rationabiliter promulgavit, pro eo quod bannum quoddam in ecclesiarum et cleri³⁾ Attrebat. fecerant detrimentum, apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus predictam excommunicationis sententiam, si rationabiliter est prolata, faciatis usque ad satisfactionem idoneam sublato appellationis obstaculo firmiter observari, nullis litteris etc. Quod si non omnes etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum xj. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno octavo. (1205, März 22).

Postmodum vero dominuspapa suas ad vos, ut audivimus, litteras destinavit super eodem negotio in hunc modum:

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis B. preposito, D. et H. canonicis Rem. salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis maior et scabini Attreb. conquestione

1) Maroeul-les-Arras. 2) Rethun. Hs. Gemeint ist Béthune. 3) clericis Hs.